



XI. 12^h = Q.

(ca. 4, 64 - 65)

1,

2,

3,

4,

5,



rg.
sörster.
ickner.
örster.
an.
br.
g.
arthen.
rettin.
ches
vor
silber
von
s

5. 28.

APOLOGIA

ANTIQUISSIMÆ UNIVERSITATIS
ERFORDIENSIS,

Adversus

JOANNEM VOLCKMA-
RUM BECHMANNUM, D. &c.

1672
740

Qui affectato æmulationis stu-
dio sine fine dicit, scribit,

atque

*Erfordie Carnificem fuisse Universi-
tatis Rectorem mentitur,*

Imperante ejusdem Universitatis honore,
Integritate, Eminentia,

Publicata:

Anno M.DC.LXXII.

ERFURTI,

Literis JOH. GEORGII HERTZII, Acad. Typogr.

4



Orrupta hominum quorundam phantasia in rebus ludicris, vilibus, & quas despicit prudentis ingenium, voluptatem quærit; perniciosior vesania invidum, detractorem atque eum dementat, qui suæ laudi accedere credit, quod aliorum existimationi detrahere conatur: is enim nunquam non ex aliorum moribus, vitâ, genere, stolidæ delectationi suæ pabulum quærit; cumque vanum hominem ingenuus quisque vel aversetur vel rideat, ipse solus in angusti judicii latebris sibi sapit, adulatur, gaudet, ac quæ summa ejus actionum est, stultescit. Hanc detractionis officinam hodie quidam aperit, & quod mireris, lictores cudit, cumque mentitis sibi hostibus luctatur, adeo sibi complacens, ut nihil homini amplius sapiat, quod non iste lictor proscidit: non ipsi pagella elegans videtur, nisi quæ Erfurti Rectorem fuisse Carnificem mentitur. Dissimulassemus imbecillitati hominis, si semel insultasset, ast cum iteratis vicibus, ac toties quoties monstri ingeni haud degenerem partum enititur, affectatas injurias regerat, suumque impetum quâdam cum jactantiâ & provocatione commendet, imperavit nostræ Universitatis honor, ut meritâ insultantem clavâ exciperemus. Sed relinquemus homini tam studiosè quæsitum sodalem, retineat lictorem suum, imò & hic, ut patebit, alterum adducet, quo ordinandi Collegii numerus compleatur. Nos Illustrissimum Georgium Principem Comitem Hennebergium, Cathedralium Ecclesiarum Coloniensis & Argentoratensis, postea etiam Moguntinensis Canonicum, inclytæ Aschaffenburgensis Præpositum, Universitatis nostræ Rectorem vindicabimus, simul tot Principes familias,

lias, & præsertim Serenissimam Saxoniam, ex mixto cum Hennebergiaco sanguine propagatam, & æterno confraternitatis beneficio obstrictam, à procaci injuriâ defendemus.

Anno superioris sæculi septimo, Rectoratûs antiquissimæ Universitatis Erfurtensis clavam tenente Domino Joanne Reinboth, s. U. D. & Erfurtensi Patrio, Fratres duo, ambo Hennebergici Principes Comites, ac Cathedralium Ecclesiarum Agrippinensis & Argentoratensis Canonici, GEORGIUS & BERTHOLDUS Erfordiam venere, ibidem cœptum ante in literis progressum continuaturi; magnis commendatus virtutibus GEORGIUS, anno sequente ab Universitatis Proceribus Rector eligitur. Hunc Carnificem fuisse non rogatus ille Censor pertinacibus calumniis contendit, idque omninò iis artibus colorare nititur, quibus forenses rabulæ suas falsitates adumbrant, dum testes, qui, quod à se invicem effictam rem acceperint, numerandi non sunt, dolosâ calliditate, quasi ex propriâ quisque scientiâ testaretur, allegat, ac alibi *Dracorem*, alibi *Spangenbergium*, quorum iste ex hoc quædam transcripsit, ut separatos testes citat. Lacunam ipsam in quâ lictorem suum caliginosus hic Piscator cepit, examinemus. Spangenbergius in *Chronico Henneberg*, lib. 5. c. 44. pag. 247. ita dicit.

Anno 1502. Doctor Martinus Luther gedenekt an einem Ort/das umb diese Zeit/als er zu Erffurt studiret/ ein feiner schöner junger und ansehnlicher Mensch dahin kommen/ so sich vor einen jungen Graffen und Herrn von Henneberg angegeben/sich auch so wohl/ still und tapfer gehalten/ daß er von Männiglichen/ auch vom Rath und der Universität hoch geehret/ und also werth geachtet worden/ daß man ihn zum Rector erwöhlet/ aber zu letzt ist es außgebrochen/ daß er ein Häncker und Schinder gewesen/derowegen er sich auch alßbald aus dem Staube gemacht/wehre sonst übel ankommen.

Hoc illud turbidum, ex quo picatus iste lictor extractus est: turbidum dicimus contrarietatibus & falsis permixtum: Primo enim integris sex annis in tempore fallit, cum non anno secundo, sed ejus sæculi octavo, fasces Academici Hennebergicis insignibus crediti fuerint. Secundo Lutherus dixit! quid tum? ast tamen nullibi Lutherus id quod Spangenbergius imputat, asserit, nullibi dicit; manet igitur solus testis Spangenbergius, & quidem de auditu, quodque imbecillius est, talis qui auctorem demonstrare nequit.

)(2

Quis

Quis unquam nisi puerili impetu obcaecatus Doctor, probationis efficaciam his ineptiis tribuet? Illa autem malitia est, quod præter Spangenbergium etiam Draco allegetur, cum hic se loco citato in solâ Spangenbergii traditione fundet, ac propterea non magis produci testis possit, quam de gestis Achillis ex Scholâ puer, qui legit Homerum. Ac licet ex his in aperto sit, quam debili fulcro isthæ calumnia innitatur, simul æmulationis pruritus & studio quæsita contentio disputatoris istius pateat, qui pagellas suas mentito carnifice maculare non desinit, ac Universitatem nostram aliorum exponere risui, reddere contemptibilem, & sic quod directè non valet, indirectè nocere intendit, pauca tamen quæ justitiam, quæ veritatem causæ ad oculum ostendunt, nostrique Comitis Illustrissimum sanguinem à carnificinâ, nobisque ipsum Comitem vindicant, adducemus.

Dictum est, non solum hunc Comitem GEORGIUM, sed cum eo fratrem BERTHOLDUM Erfordiam venisse: id enim Universitatis ejus anni matricula, cui ambo inscripti, testatur, cujus initium hæc habet:

Anno 1507. Egregie ac prudenter præcedunt agmen Nobilissimi duo fratres GEORGIUS & BERTHOLDUS HENNEBERGIE PRINCIPES: ambo Cathedralium Ecclesiarum Agrippinensis & Argentinae Canonici: ambo sine jaectantiâ litterati, & ornatisimi morum integritate. Qui quatuor florenis Universitatem, & duobus Pedellos adornarunt.

Jam verò esto, subdolum quendam & simulatorem dari potuisse, qui rarissimâ arte alterius personam adeò dextrè egisset, quis hoc de duobus fratribus credet? (etenim & BERTHOLDUM suam in disciplinam trahere debet Bechmannus) imò in hac viciniâ, ubi paucis horis Erfurtensium & Hennebergensium territoria distant. An non primis statim septimanis ille dolus à divagante hinc inde famâ fuisset detectus? illo præsertim anno & tempore, quo plures simul Comites hac in Academia vixerunt, quos inter Illustrissimum FRANCISCUM COMITEM WALDECENSEM Condiscipulum, & lapso officii tempore in Rectoratu successorè noster COMES GEORGIUS habuit. Scrupulosa est Illustrium in eos indagatio, qui conditionis paritatem profitentur, his autem duobus annis duo Lictores sub

Henne

Hennebergiacis insignibus & titulis, inter tot Comites, insuper in urbe vicinâ, in qua multi fideles Vasallio Hennebergiacis obstricti habitant, latuissent? Quis nisi cui pix est pro cerebro credat? Veruntamen apertius adhuc veritatem demonstrabimus, ut & peccato capiti appareat. Dicit Spangenbergius, demum compertum fuisse dolum, proindè mentitum Comitem erupisse. Ast Illustrissimus Comes noster & Princeps GEORGIUS non erupit, non evasit, sed Rectoratu laudabiliter ad tempus in statutis præfixum functus & defunctus est. Testati sunt illud coævi Universitatis Doctores, qui solito Academiae more, finito Rectoratu immatriculorum ejus anni Catalogo præfationem, hanc præmiserunt :

” Anno 1508. Arte magna tractandus est homo: & ob hoc expetitur
” ad gubernanda publica munera vir prudentiâ, disciplinâ & virtute insignis, cujus consilio cuncta debite regantur: auctoritate pensitentur:
” dexteritate moderentur: cui subditi (tanquam in corpore benè composito cætera consentiant membra) audiant: auscultent: subscribant:
” Quamobrem docti homines Erfordiani, ut benè consulere Reip. literariæ, frequenti comitio unanimis suffragiis, honestissimo Scholasticorum Ordini Rectorem præfecerunt GEORGIUM, Illustrrem Comitem Hennebergensem, Adolescentem duobus Sacerdotiis, Cathedralium Ecclesiarum apud Agrippinenses & Argentinenses amplificatum, quem imprimis his fascibus dignum judicaverunt; siquidem in quo fulgeat indoles mirifica: mores defecati: dexteritas suprâ ætatem: consilium ante annos. Non sunt ergò spe & opinione frustrati Patres: quippe incredibile dictu est, quantum in moderanda hominum societate polleat Nobilitas suo fundamento cõjuncta virtuti, quâ ipse ita splendescit, ut non minus à se profectam quam ex illustri suorum Majorum origine tractam possidere videatur: Finita autem est hæc novissima selectio à tribus maximis Viris Sebastiano Weyman, Sigismundo Stockheim, Consultissimis Sacrarum Literarum Doctoribus, ambobus Canonicis Ædis Divæ Virginis apud Erfordiam & Brunone Ysnachensi in Philosophiâ Magno Magistro, quinto Cal. Martias Anno Sesquimillesimo octavo. Quo præside recepti sunt in Collegium Scholasticorum seqq. discipuli. *Hæc ex matricula Universitatis.*

Nota autem ex more Universitatis nec immatriculorum nomina, nec Rectoris electionem puriori matriculæ membranaceæ, nisi

Reſtoratu finito, inſcribi, proindè ex ſuperioribus colligitur tantâ cum felicitate clavo Academico Illuſtriſſimum GEORGIUM aſſediſſe, quantâ cum ſpe eidem admotus eſt. Ante iſtam præfationem inſignia ſua Comes Hennebergiaca, elegantiffimè depingi fecit. Sed ecce, ne quid tegere videamur, Catalogum Reſtorum ab anno 1500. uſq; 1510. in fine appendimus. Si dubium reſtat, teſtes addimus numero plures, Imperii Germanici Electores, Principes, Proceres, qui fidem ſuam ſolenniter & publicè pro illuſtri GEORGII noſtri ſanguine interpoluerunt. Sic enim ait Spangenbergerus in *Chronico Hennebergensi lib. 4. cap. 29. pag. 164.*

Dieſer Graff Georg/ auch Graffen Hermans des Achten vierdter Sohn ward Anno 1500. Thumbherr zu Straßburg/ auff eingebrachten Beweis durch Biſchoff Heinrichen zu Bamberg und beider Churfürſten/ Herkog Friedrichs zu Sachſen/ und Marggraſſen Joachim zu Brandenburg/ Graff Eitel Friſen zu Zöllern/ Graff Johann von Werdenberg und Graff Philipſen von Naſſaw/ Inſtein CammerRichtern. Auch ward er Canonicus zu Eöln/ deßgleichen zu Nürnberg/ und Anno 1512. den 20. Aprilis ThumbProbt zu Aſchaffenburg. Er iſt Anno 1521. auf den groſſen Reichstage zu Wormbs geweſen/ und daſelbſt geſtorben.

Certè niſi ut ex accenſo intus dolio, ſic ex cranio piccatum illud cerebrum fumiget, facilè tot illuſtribus teſtimoniis propoſitam veritatem videbit.

Utque magis noſtræ matriculæ cum veritate, cum hiſtoriâ conformitas appareat, eccè & alterum Comitem Principem, GEORGII fratrem BERTHOLDUM in matriculâ relatam, Illuſtriſſimis ſtipatum propugnatoribus accipe. Idem Spangenbergius in *eodem lib. 4. cap. 26. de hoc Bertholdo:*

Graff Berthold dieſes Namens der Neunzehende/ Graff und Fürſt zu Henneberg/ Graffen Hermans des Achten eifter Sohn/ iſt Anno 1505. Thumbherr zu Straßburg worden/ auff eingebrachte probation Marggraſſ Friedrichs zu Brandenburg/ Herkog Ulrichs zu Württemberg/ Graff Henrichs von Schwarzburg/ und Graff Erasmus von Wertheim. Datirt zu Eöln/ Sonabend nach Jacobi.

Fuſè ibidem totam hujus Comitis vitam lege. Finiamus apologiam hanc cum Principis iſtius BERTHOLDI dictorio, de quo Spangenbergius *allegato capite 26. ait:*

Dieſer Graff Berthold hatte eine Weiſe an ſich/ daß er über das dritte
oder

oder vierdte Wort in seinen reden mit einmischete/ und immer wiederhole-
 te die Worte: **Wie sich das gebüret.** Also sagte er zu seinem Schrei-
 ber einem/ der ihme einen Brieff/ auff sein dictiren nicht seines gefallens
 gestellet/und auch etwan dieselbe Worte mit eingesehet: **Wir Berthold**
Fürst zu Henneberg/Wie sich das gebüret ic. als er ihme denselben
 Brieff vorlas: **En daß dich dann die Weits Tanz bestehe / Wie sich**
daß gebüret/ darff ich dich doch bald bey dem Kopff nehmen/ **wie sich**
daß gebüret/ und die Stiegen hinunter werffen/ **wie sich daß ge-**
büret/ ic. Hactenus Spangenbergerus.

Sic diximus haud dubiè quædam piceato Doctori, æquè ut isti
 Scribæ, displièntia, sed castigavimus convitiandi ejus prurimum, ut
 convenit; geminatas injurias retorsimus, ut convenit; vicinæ ac con-
 fœderatæ Universitati insultandi levitatem represimus, ut convenit;
 deteximus mendacia, ut convenit; diximus tali homini, ut convenit.

F I N I S.

<i>Anni</i>	<i>Seriæ</i>	CATALOGUS RECTORUM	
<i>Christi</i>	<i>Re-</i>	Ab Anno Christi 1500. usque 1510.	
<i>sti.</i>	<i>ter.</i>		
1500	214	R. Dn. M. Hittwinus Doliatoris de Biedenkap/ Sacræ paginæ Licent. & Ecclesiæ Gregorii Erf. aliàs Mercatorum Pastor, die Phil. Iac. E.	
		Dn. M. Conradus Orlem, Neopolitanus, S. paginæ Licent. ma- joris Collegii Collegiatus, nec non Ecclesiæ S. Viti Erf. Ple- banus, die Luc. E.	
1501	216	Dn. Jodocus Trutvetter/ Isenacensis, Liberalium Artium Prof. S. Theol. Licent. Scholæ Jurisperitorum Collegiatus, die Philippi Jacobi E.	
		Dn. M. Conradus Wideling/ Medicinæ Baccal. Portæ Cœli Col- legiatus, d. Luc. E.	
1502	218	R. Dn. Jacobus Doliatoris Eimbeccens. I. U. D. Eccles. S. Severi Erfurt. Decanus, d. Phil. Iac. E.	
		Dn. M. Johannes Ganß/ Ecclesiasticæ Literaturæ Lic. d. Luc. E.	
1503	220	Dn. M. Johannes Hoffman/ ex Coronach (vulgò Cronach) Bam- bergens. Imperialis Diœcesis, S. Theol. Licent. Eccles. B. Ma- riæ Virg. Vicarius, d. Phil. Iac. E.	
		Rever. in Christo Pater Dn. Dn. Johannes Bonemilch de Lasphe/ Episco-	

<i>Anni</i>	<i>Serie</i>	
	<i>Chri-estor.</i>	Episcopus Sidoniensis, Reverendiss. in Christo Patris Dn. Dn. Bertholdi Moguntinens. ArchiPræsulis, in Pontificalibus Vicarius, die Luc. E.
1504	{	222 R. Vir Dn. Jacobus Schollus Argentinus, ingenuarum & liberalium Disciplinarum Cultor ac Doctor, d. Phil. Iac. E.
		223 Dn. M. Johannes VVerner, Tettelbachensis, S. Theol. Licent. Eccles. B. M. V. Erf. Vicarius, & Collegii jurisconsultorum Collegiatus, die Luc. E.
1505	{	224 Dn. Georgius de Bardorff, die Phil. Iac. E.
		225 Dn. Nicolaus Söcher, Med. Doct. d. Luc. E.
		226 R. Dn. Matthias Meyger, Hallens. I. V. D. & B. M. V. Canonicus, die Phil. Iac. E.
1506	{	227 Dn. Johannes Reimbothe/Patritius, I. V. D. die Luc. E.
		228 Dn. Johannes de Sachsa, Patritius, I. V. D. & Consiliarius Illustrissimorum Ducum Saxonie, d. Phil. Iac. E.
		229 Dn. Johannes Reinhardi, Smalkaldens. Artium & Med. Doct. ac I. V. Baccal. d. Lucæ. E.
1507	{	230 R. Nobilis & Generosus Dn. Dn. Georgius Comes Hennebergens. Cathedral. Eccles. Agrippinens. & Argentinen. Canonicus, d. Phil. Iac. E.
		231 Nobilis & Generosus Dn. Dn. Franciscus, Comes de VValdeck, d. Luc. E.
		232 Dn. M. Henricus Sticker Brunopolitanus, Majoris Collegii Collega, d. Phil. Iac. E.
1509	{	233 R. Dn. Johannes Alberti, Eimbeccens. Ingenuarum Disciplinarum, ac I. V. Bacc. Edis S. Severi Architectus & Canonicus, d. Luc. E.
		234 Dn. M. Johannes Lupi, Erf. S. Theol. Baccal. Eccles. B. M. Virg. Erfurt. Vicarius, die Phil. Iac. E.
1510	{	235 Dn. M. Conradus Dulcis, Hamburg. I. U. Licent. d. Luc. E.

000)0(000



Lb 3343.8^o

ULB Halle 3
004 841 00X



So.

f

K17

M.C.





APOL
ANTIQUISSIMÆ
ERFORDI

JOANNEM
RUM BECHM

Qui affectato
dio sine fine

*Erfordie Carnific
tatis Rector*

Imperante ejusdem
Integritat

Anno M

Literis JOH. GEORGI



1672

740

